

No. 214. 1441. 21. März.

*B. Johannes von Merseburg ertheilt auf die Dauer von zwei Jahren allen denen, welche gegen die durch die Husitenzüge in ihren Einkünften herabgekommene Kusterei mildthätig sich erweisen werden, Ablass und fordert Pfarrer und Capellane auf, den zur Einsammlung der Gaben abgeschickten Boten möglichsten Vorschub zu leisten.*

Johannes dei gratia episcopus Merseburgensis universis et singulis praelatis et divinatorum rectoribus ac ceteris Christifidelibus utriusque sexus seu conditionis aut status existant salutem in domino sempiternam atque paternam caritatem. Cum inter caritatis opera deo acceptabile est largitio elemosinarum, quae pie distributa extinguitur peccatum iuxta beati Gregorii dictum in libr. dialog., ubi eam recommendans inquit: Per largas elemosinas, devotas orationes ac sacrificia missarum multae animae sunt salvatae et clarificatae, ad quam et ad alia virtutis opera ex debito officii nostri pastoralis tenemur populum incitare. Sane igitur ut experientia docet et liquet evidenter, quod officium custodiae in monasterio sancti Thomae apud Lipezenses canonicorum regularium ordinis sancti Augustini nostrae diocesis in suis censibus et redditibus est diminutum, et per fossata, quae iam facta sunt prope Lipezk, ubi pridem fuerunt possessiones ac villa Lippransdorf per haereticos Husitas vastata, in quibus fossatis et villa census et redditus fuerunt ipsius custodiae, cumque ipsa custodia habet providere de luminibus, cera et sepone ac libris et ornamentis ad divinum cultum spectantibus ac plura alia onera, quae minime potest expedire propter defectum praemissum absque Christifidelium subventionem, ne igitur propter huiusmodi exilitatem ipsius custodiae cultus divinus in luminibus et aliis necessariis diminutionem patiat, universitatem vestram requirimus et hortamur in domino vobisque in remissionem peccatorum vestrorum iniungentes, quatenus de bonis vobis a deo collatis dicto officio custodiae cum vestris elemosinis pie subvenire curetis cum pecuniis cera sepone pannis et aliis rebus ad cultum divinum oportunis, ut per haec et alia bona opera, quae domino inspirante feceritis, possitis praemia aeterna remereri. Nos enim omnibus et singulis vere poenitentibus confessis et contritis, qui elemosinas suas ad praemissa largiti fuerint, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ac sanctorum Johannis et Laurentii patronorum nostrorum auctoritate confisi quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in domino relaxamus. Vobis vero ecclesiarum parrochialium rectoribus ac capellanis ambones regentibus ceterisque, qui cum praesentibus fuerint requisiti, sub debito obedientiae districtae mandamus, quatenus nuntios saepefatae custodiae, cum ad vos venerint elemosinas huiusmodi petaturi, apud plebem vobis commissam studeatis fideliter promovere absque alicuius muneris extorsione, praesentibus vero a data earumdem ad biennium duraturis. Datum Merseburg anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo quadragesimo primo feria tertia proxima post dominicam qua cantatur in ecclesia dei Oculi nostro sub appenso sigillo.